

Ta[…] […] Carolus



[…]ynerski Joannis Sydus in umbra.



SYDVS IN VMBRA,

SIVE

IN MÆRORE SOLATIVM,

Ob luctuosum occasum,

ILLVSTRIS AC MAGNIFICI OLIM D.

THEODORI CAROLI,

Comitis à Tarnow

KRZEPICEN. KŁOBVCEN. ZYZMORIEN. CAPITANEI.

A

M. IOANNE CYNERSKI RACHTAMOVIO, S. Th: P. S. Flor: Can. officiosa pietate, ad feralem vrnam exhibitum c. q;.





CRACOVIAE,

In Officinâ Typògraphicâ Valeriani Piątkowski, Anno Domini, 1647.

7.



Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus, in lucem sempiternam; & complebuntur dies luctus tui.

ISAIÆ cap: LX.



SYdus in Vmbra hæret, lux in tenebrisq; quiescit,
Mors immortalis, per pia facta nitet.

Illustriss: & Magnificis DD.

D. IOACHIMO
PARNAVIEN: PALATINO,
Venden: &c. &c. Capitaneo.

ET

D. MICHAELI
In Wielowessio, Dzikow & Zborow
HÆREDI,
CASTELLANO WOYNICEN.
Fratribus, Comitibus à Tarnow
Dominis & Patronis meis pereximiè obseruandis,

M. JOANNES CYNERSKI RACHTAmouius, S. Th: P. ad S. Flor: Can. Salutem et in mærore solatium.



GRaue grandeq; vulnus, quod Illustris Vestra Domus, ob immaturè raptum Illustr. THEODORVM CAROLVM, accepit, etiã improuiso mærore nostri Lycæi confudit eloquentiam. Illustriss. Comites TARNOVII. Toto isto Scriptionis tractu, nec verba habuimus composita ad concentum, & nihil nisi Veritatem misimus ad solatium. Nam sicut calenti vulneri sensus deest: ita nondum exactus primi doloris turbo, recenti calamitate inducit stuporem. at vbi flexu temporis, vires mentemq; collegimus, ausi sumus, à Gentilitio Vestro Sydere, imo vel ab Vmbra, petere solatium. cum deduximus Sacræ potissimum paginæ testimonijs, qualis sit, & quàm præceps, humanæ sortis conditio; & quam citò, quamq; semper, ac in dies, & momenta moriamur. Dedecet Sacris addictum mysterijs Sacerdotem, nisi è Sacris fontibus, delibare doloris leuamenta. quæ plus ponderis & sanitatis habent in sensu, quàm in complexu verborum lenitatis. Horrida res est (imo si res est, quæ est rerum priuatio) ipsaq; cogitatione tristissima

Mors, ideò furuum amat squallidumq; colorem, & omnem despicit dictionis apparatum. Sed tamen leuiora illa sunt, quæ passim ad omnes spectant, quàm quæ vnum fatigant; soletq; patientiæ, maius dare robur, communis calamitas. Vanum est timere, quod vitari non potest. Hanc Lybitinam, nulla diligentia effugit, fælicitas nulla domat, nulla potentia euincit, pietas demulcet nulla, sanctitas, & auctoritas nulla reprimit vel coërcet. Enim uerò quicunq; viri fortes visi sunt, à conscientia rectè factorum, tum à literis, in discrimine doloris, præsentia remedia petierunt; quorum exempla, refert ille perspicacis ingenij, iudicijq; potētis author, qui remedia grassanti vtriq; Fortunæ, præscripsit hominibus ad sanitatem. Grauiter quoq; vt omnia, antiquiss. Doctor Tertullianus; Profectio est, inquit, quam putas mortem. Nō est lugendus, qui antecedit, sed planè, desiderandus. Id quoq; desiderium, patientia temperandum. Quem enim immoderatè feras abijsse, quem mox subsequeris? Inter miracula propè dixerim refert D. Hieronymus Paulæ constantiam de obitu Blesillæ. *Rem sum, inquit, dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret, more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuadere? Lachrymę gutta non fluxit! stetit immobilis! et ad pedes Christi deuoluta, quasi ipsum teneret, arrisit! Expeditius, inquit, tibi seruitura sum Domine, quia tanto me onere liberasti.* Quanquam non hæc ideo dico Illustriss. Palatine, quasi de Tua animi moderatione deliberem. Agnouisti in Filio Illustriss: Palatine, eximiā Dei benignitatē. Mens bona, vigor animi, industria, magnanimitas, plurimū Te recrearunt. Affinitates cognationesq; decus & ornamentū attulerunt. Ex priore Illustris Theodori Consorte, Elisabetha Catherina de Podberesko, Casimirū ingenuæ indolis Spectas Nepo tē; Helenæ quoq; Danilovicię, in puerperio (vt Poëtarū more loquar) benigna Lucina fauebit. Nā Danilovicia Luna fæderato luminis sydere prægnās nō potest, nisi magnū parturire pign9. Bono equidem auspicio, vtraq; Tarnoviæ & Danilovicię Gentis Sydera, coniuncta sunt. Vtraq; antiqua meritorum propagatione, vt cum Cælo certare posint, creuerunt. Vtraq; Cæli Sydera vsurparunt ad gloriam. Nec ambigimus cōlonam illā debere esse amicitiæ charmoniam, quæ singulari modulatione Cælo suam originē duxisset. Et ipse quidē Filius, quāquā medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantū ad gloriā lōgissimū æuū peregit. Tu Ill. Palatine super, præmisisti nō amisti Filiū. Te verò Ill. Castellane, cū Filio Tuo chariss. quē DD. Petri & Pauli in patrocinio à Sacrofōte, nomine imposito esse voluisti, diuina protegat benignitas, vt vestra Gētilitia Luna, nunquā nisi πανσελενε agnoscat.

Fran. Petrar. de remedijs vtriusq. Fortunæ lib. 2. c. 48.
Tertull. li. de patien. c. 9
D Hierō ep. 250.



SYDVS IN VMBRA.



QVOD lugemus omnes, lethali vmbrâ sydus compressum amænissimum, proferat tantisper beneficio dictionis, lucem suam in orbem cōspectumq; nostrum, dum eius vim atq; splendorem, vel leuiter meditatione possumus attingere, Illvtriss: Comites Tarnovii, cæteriq; Hospites mæstiss. Nam si tantummodò, Pater vnicum Filium, Patruus Nepotem chariss. Amici Cognatiq; Amicum desideratiss. & Virū Vicini Hospitesq; in hac ætatis firmitate florentissimum, à nostro conspectu præcipiti casu abreptum obstupescimus, & non altioribus etiam defixi cogitationibus, breuem vitæ humanæ & incertam orbitam, variosq; euentus atq; pericula contemplamur, rem profectò facimus nostro officio, minus dignam, opusq; periculosæ tractamus aleæ, per ignes suppositos Cineri doloso incedentes. Tum demum enim piè sanctèq; in hac mortalitatis statione versamur, & saluti nostræ consulimus, cum fluxam & euanidam rerum humanarum cōditionem, quæ nulli ætati, nulli dignitati satis firma & constans est, quotidie nobiscum expendimus, & ex vicinis, nostrumq; sensū palā

incur-

incurrentibus exemplis, quid accidere nobis possit pensitamus: atq; adeò contra fugaces huius vitæ illecebras, & meras vanitates strenuè depugnamus, inferiora hæc despicimus, cælestia suspicimus, inq; illam beatorum Ciuium sedem cogitatione totisq; Viribus contendimus, vbi pax sine confusione, tranquilitas sine fluctu, sanitas sine vicissitudine, sine tædio fælicitas, sine intermissione lætitia, sine fine æternitas permanet atq; conquiescit. Submoueamus igitur miseris oculis, inuisa tandem dolorum simulachra, nec Illustri THEODORO CAROLO COMITI TARNOVIO, quod insperato casu & occasu ocubuerit, quicquam noui accidisse arbitremur. Quid iuuat funera toties deplorata, importuno fletu reducere ad feralem põpam, aut inexorabilibus lachrymis, vrgere semper damna, quæ reparari nunquam possunt? ac insuper leuamenta luctus, more præficarum, à luctu quærere? Præstat non solum Orationem, sed etiam cogitationem omnem, si non ad euertendum, saltim ad auertendum ac leniendum dolorem, conuertere. Et tametsi, nihil difficilius sit, quam magno dolori, paria solatia reperire, cum præsertim exiguus dolor loquatur, ingens sileat stupeatque; eo tamen pietatis & humanitatis officio, *Illustrem Comitem Tarnouium*, vita functum, THEODORVM CAROLVM venerabimur, quod nobis gentilitium Symbolum, atq; hoc, quod latet Sydus in Vmbra proponit. Vt igitur ingeniosi pictores ingẽtes, Orbium ac lucentium Syderum tractus, in breui cum necesse est tabella, magis adumbrant, quàm depingunt, nec lucem tamen Cælestem minuunt, etsi volubiles stellas breuibus cancellis coarctant: sic nos heroicas Illustris THEODORI CAROLI COMITIS TARNOVII Virtutes, velut Sydus in Vmbra contem-

cõtemplemur, & quod sibi ipse vita pie iusteq; transacta parauit decus expendamus, vt ab hac Syderis Vmbra, lucem meritorum, in amplissimo ambitu immortalitatis, *Illustris: Gentis Tarnouiæ* possimus intueri.

Ac mihi quidem insperatos casus variosq; euentus perpendenti, fatalis quædam calamitas, rebus in humanis maximè dominari, plurimumq; sibi vendicare videtur potestatis. siquidem vt ingeniosus poeta satis energicè pronuntiauit.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Neq; hoc in nostra positum est voluntate, vt casus aduersos industria aliqua aut ingenij sagacitate auertamus, sed illud potius nostri muneris atq; officij censeamus, vt vitam hanc quam breuibus admodum cancellis circumscriptam esse constat, innocentia, pietate, animi moderatione, æquitate, promoueamus, & immortalem quodammodo, vt illustre sydus in vmbra mortalitatis luceat faciamus. Vnde fiet, vt improuida mors non sit illi, cuius prouida vita fuit. Nam quo pacto rerum maxima negligat, qui parua, qui minima, librare sit solitus? humanis autem in rebus, quid maius morte monstraueris? quid par morti? Sic Sapienti, quiq; eminus cuncta præuiderit, nihil insperatum, inopinum nihil accidere posse, non ambigitur. *Sed homines* (ait sapientiss: Romanorum) *ita compositi sumus, vt nos quotidiana, etiam si admiratione digna sunt, transeant: contra minimarum quoq; rerum, si insolitæ prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaq; cætus astrorum quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in Cælo est. Sol spectatorem nisi cum deficit non habet. nemo obseruat Lunam nisi laborantem. Tunc vrbes conclamant, tunc pro se quisq;, superstitione vana trepidat. Quanto illa maiora sunt, quòd sol totidem (vt ita dicam) gradus,* Senecâ lib. 7. quæst. nat. c. 1.

dus,

dus, quot dies habet, & annum circuitu suo claudit: quòd à solstitio statim inclinat, & dat spatium noctibus: quòd Sydera abscondit: quòd terras, cum tantò maior sit illis non vrit, sed calorem suum intensionibus ac remissionibus temperando fouet: quòd Lunam nunquam implet, nisi aduersam sibi, nec obscurat. Hæc tamen non annotamus, quam diu ordo seruatur. Si quid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus. Adeò naturale est, magis noua; quàm magna mirari. Hanc ipsam LVNAM, cur rerum cælestium interpraetes Astronomi, lumine plenam siue integram vocant, dum quo crescat non habet; sed potius habet, quo in singula pæne momenta decrescat, non intelligo; nisi fortè nostræ mortalitatis vicissitudinem depinxerint. Tanto enim minus integra est vita nostra, quàm sydus Lunæ: tanto minus certa, quod incerta futuri est, certa præteriti, nullis vnquam remedijs instaurandi: hoc tamen illi similis, quod nunquam sibi similis. Motu siquidem perpetuo Cœlum voluitur: momenta horas, horæ diem rapiunt, is alium diem trudit, isq; alium; & nunquam quies: sic menses prætereunt, sic anni; sic & ætas currit, ac properat, imo volat. Ex quo loquimur mutatio illi incessit, & modò per singulos syllabarum tractus, vitæ aliquid discedit, accedit morti: semper illa præterlabitur, semper hæc instat. *Quotidie morimur* (idem Stoicus Rom. ratiocinatur) [Seneca Ep. 14.] *quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & nunc quoq; cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam; vsq; ad hesternum quicquid transijt temporis, perijt. Hunc ipsum quem agimus diem, cũ morte diuidimus: quemadmodum clepsidram, non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic vltima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Præsens igitur tempus breuissimum est, adeò quidem, vt quibusdam nullum videatur; in cursu enim semper est, fluit & præcipitatur, ante desinit esse quàm venit; nec magis moram patitur, quàm mundus, aut Sydera, quorum irrequieta semper agitatio, nunquam in eodem vestigio manet.* Eant nunc ambitiosi homunciones, & de diuturno tempore vitæ glorientur, cum nihil possideant præter vmbram! Quam verum est illud effatum patientissimi Iob: [Iob 14.] Cũ dicit hominẽ fugere *velut Vmbram*. Et Rex Dauid *Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora.* [1. Paralip. c. 29.] Quo igitur vmbra maior, eò nocturnis tenebris propinquior. Imo sicut vmbra dici potest quædam nox; ita vita nostra mors vitalis: aut vita mortalis: quo in argumento non minus vere quàm subtiliter immoratur, peraugusti oris D. Augustinus. *Nunquam inquit in vita homo est, ex quo est in corpore isto moriente, potius quàm viuente: si & in vita & in morte simul est: in vita scilicet in qua viuit, donec tota detrahatur: in morte autem, quia iam moritur, cum vita detrahitur? Si enim non est in vita, quid est quod detrahitur, donec eius fiat perfecta cõsumptio? Si autem non est in morte, quid est vitæ ipsa detractio?* [lib. 13. de Ciu. Dei c. 10] Quæ cum ita sint, nemo præfixam sibi periodum superare, nemo ante diem mori, nemo fatorum vim adamantinam euitare potest. Satis diu vixit, quisquis bene. Quid verò iuuat, ô misera mortalitas, animam per tot annos, etiamsi natura patiatur, per infinita temporum spatia, tristissimo corporis retinere complexu? Si cuncta gaudia nostra, si voluptates, & quæcunq; ex hac vniuersitate mundi, vel sollicitant aspectu, vel blandiuntur vsu diligenter excutias, tota *vita hominis vmbra est,* vel vt acutius Pindarus *vmbræ somnium,* vel vt alij *bulla* atq; *ros matutinus,* qui minimo afflatu venti, vel radio Solis attactus subitò euanescit. Quare quisquis honestis operatus artibus nouit, quis sit finis bonorum, quæ vera hominis felicitas, nunquã

ſibi videbitur immatura morte periturus; ſed memor humanæ fragilitatis, memor fluxæ ſortis, ad æterna ſuſpirabit, immortalitatem ſuſpiciet, ſpem firmam in ſummo Conditore locabit, atq; ab vmbra mortis, ad æternitatem lucis euolabit, in eaq; ſecurus conquieſcet. Hoc itinere benè præmunito, ab exilio in Patriam, à morte ad veram vitam demigrauit Illuſtr: THEODORVS CAROLVS COMES TARNOVIVS, qui omnia vitæ ſuæ vota, omnia ſtudia, ac præclaras actiones, ſpiritum deniq; ſuum tempeſtiuè diuinæ reſignauit voluntati. Enim cum aurea vena ætatis reliquæ, ſit adoleſcentia, a qua velut aurora, meridiem vitæ ominamur; eam primū domi, cura conſilioq; vigilantiſſimi Parentis, optimis artibus perpoliuit: & ne deinde ob annorum lubricitatem, aliqua prolapſione, extra honeſti ſemitam exerraret, ſolidis eam communiuit diſciplinis. Enimuero eadem cum ſit virtutis, quæ flammæ ſurgentis ratio, vt diu latere non poſſit, erupit tandem æmulo Vlyſſis impetu, in *Germanias*, *Gallias*, *Italiam*, *Belgium*, vbi plures amicos inuenit, quàm hoſpites; quibus frui poſſet, non vti: nec admirationem tantum reportauit, ſed & famam. Illud Cælum peregrinum, cum commodè ſatis hauſiſſet *Illuſtris* COMES THEODORVS, in patrium rediјt ſolum, maximo libertatis incitatus ardore. Cum à libertate non poſſit eſſe alienus is, qui in ea natus eſt. Hic plurimo cinctus artium & Virtutū Comitatu, *Illuſtr:* COMES facilè in ſe flexit amicorum oculos, & fauorem Principum. Ad aulam enim ab omnibus animorum peſtibus, ita ſeiunctus fuit, vt nec vicinas habuerit; ita præcauit, vt nec hoſpites admiſerit. Sciuit corpori animum, animo virtutem, Virtuti Deum debere imperare: quare & corpus illecebris nun-quam

quam credidit, & animum in corpore habitare, non viuere voluit, eiuſq; eſſe non ſocium, ſed Dominum, atq; Regem. Quis ſatis luculenti Oratione explicauerit, formatos ad honeſtatem mores, grauitatem ſine faſtu, ſine ſuſpitione modeſtiam, dignitatem oris ſine ſupercilio, animi candorem ſine fuco, ingenium mite, Solers, amænum; mentem ingenuam, apertam, ac neſciam ſimulandi; quàm pius in Deum, religioſus in Superos, quanta in amicos fide, in omnes humanitate? Quanta verò in Patriam fuiſſet charitate, quid in re plana conquiram argumenta, aut verborū ludicris conformationibus, veritatem ipſá illuſtrem? cum non ſpecioſam magis, aut fucatam, quàm ſolidā & verā, præſtantiſſimæ eius, virtutes requirant Orationem. Quod ſi taceamus nos, loquūtur publici ſumptus, loquitur ſplendor aulicus, magnanimitas, magnificentia, rebus in agendis prudentia, atq; fælicitas, cæteraq; præſidia, in legationibus á S. R. M. deſtinatis, cum ad Potentiſſimum Imperatorem FERDINANDVM II. tum ad Chriſtianiſſ. Galliarum Regem; in deducenda Sereniſſ. CÆCILIA RENATA, ac deinceps hac Cælo renata, Sereniſſima LVDOVICA GONZAGEA, exquiſitè comparata. Ea Comitate *Illuſtris Comes Tarnouius*, ſciētia, temperantia, grauitate, dignam ſtirpe TARNOVIA indolem ad perſpicacem S. R. M. æquitatem explicuit, & inconſpectu Ciuium Patriæ probauit, vt ad eos tandem veniret, quos conſecuſus eſt honores. Quid enim non ſumma laude in illo dignum? imo quid non diuinum? Naſcenti illa cōtigit ei claritudo, quæ ſplendore ſuo Cælos attigit, & regiones has inferiores illuſtrauit. Nimirum Gens TARNOVIA cum nominis ſui famam, celeriter tanquam flammam, vltra Or-

bem

bem Sarmaticum, in aridas Asiæ partes promouisset, prorogassetq;, à Cælo & Syderibus cognatum lumẽ debuit auspicari! Quicquid terrarum Septemtrio tegit, quàm latè à Carpathis montibus ad Caspium mare, a glaciali Oceano, ad Pontum Euxinum protendit Europa, quicquid vel iusto imperio Poloniarum Rex, vel hæreditario iure continet, id *Leliuarum* fortissimi bellatores, tot sæculis illustri fama rerumque gestarum gloria compleuerunt. neq; enim *Lunam patriciam Quirinalibus tholis*, sed Bellonæ Phalangibus acerrimis asseruerunt, vt memor meritorum alacriùs surgeret ad imitationem posteritas. *Leliuarum Principes*, imperatorio onusti *paludamento*, *Lunam noctilucam* non more Romanorum in *Colle Palatino*, sed in deuijs ac inuijs Sarmatiæ campis, ad iustam Imperij propagationẽ peruigiles salutarunt; ac frustra frementibus vndiq; barbaris oppositu pectorum suorũ, pacẽ & quietem Orbi Christiano reddiderunt. *Leliuarum Dynastæ*, quoties rigidam Martis Orchestram exercuerunt, toties fugam Scythis, stragem Turcis, terrorem Moschis perduellibus incusserunt! quoties cõplecti Pacis studia maluerunt, prudentiâ firmare regnum, regijs propè sumptibus excitare templa, propagare pietatem exemplo, Religionem augere meritis, felici condictamine potuerunt, veri virtutis, pietatis, magnanimitatis, ex asse hæredes, ac prodromi. Non desiderauit vnquam ex hac Gente Resp. Herculis clauam, Symbolo Lunæ insignitam; non Ægiptiorum Isidem, plenis vberibus munificentiæ redundãtem; non Xenophanis Orbem Pythagoreis Vrbibus, in facie Lunæ circum fusum: & si quando Othomanicæ productæ sunt in aciem Lunæ, semper ad Caput, aut caudam Draconis compulsæ, defectu lumi-

nis trepidarunt. & quia ea Gens Asiaticum toties cõtudisset fregissetq; Tyrannum, illius Lunas in suum traxit obsequium. Quod si illa duo fulmina belli, *Joannes Maior*, & *Ioannes Gratus* COMITES TARNOVII cum VLADISLAO IAGELLONIDE ceciderunt ad Varnam, non victi, sed vincendo fatigati; ex eorum tamen vulneribus, plus gloriæ Genti Polonæ, quàm sanguinis profluxit. Nimirum nunquam, *Magna sydera*, se illustriùs produnt, quam *in Vmbra*! nullibi magis, quàm in periculis, & pietas eminet, & virtus audet fortia. Quare prouidus ille fatorum genius, quos illustri semita, voluerit ad famam æternitatemq; grassari, illis pro Patria in solo peregrino mortem solet designare, tanquam lucrum! vt barbaricum furorem, exterreant fortitudine, vel post fata! Fælices nimium, vt mollitiem exprobrent, quæ *ad vmbram* hostilem, obrigescit. Sed longum esset ea dicere, quæ nulla vnquam facundia, satis dixerit. Vos alloquor nationes, vrbes, populi, Reges, Tetrarchæ, Principes; vos deniq; mutæ regiones imploro, & sola terrarum vltimarum, vos testor maria, portus, insulæ, littoraq;. Quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo non extent GENTIS TARNOVIÆ, cum fortitudinis, tum verò pietatis, tum animi, tum consilij impressa vestigia? Prorsus affinitatem amant, Magna Cæli sydera, & Magnatũ splendor. vt enim illa ideò serena sunt, vt vel *in vmbra* luceant! & cum vnum illustrarint locum alio festinant, vt exornent: ita mutant sedem illi, vt vbiq; prosint! nec cessant esse, vbi fuerunt. Leguntur hæc inscripta, imo infixa annalibus æternitatis, vt fuerint Patriæ propugnatores, ac propagatores Religionis auitæ, id est, Orthodoxæ, *Comites Tarnouij*! vtq; illis Cælum semper fuerit in oculis, in pectore æ-

Crom. l. 21. Bõfinus Dec. 3. lib. 6.

ternitas! & fluxa hæc contemnebant vt immortalia lucrarentur. Si quis remotiùs oculos mittere nolit, Vrbium Reginam, & Caput orbis Poloni aspiciat *Cracouiam*, sedem nidumq; Illustriss. Comitum Tarnouiorum adeat *Tarnouiam*, cæterasq; magnificas ditiones, *Iaroslauiam*, *Czarnogradum*, *Tarnopolim*, *Zochouium*, *Wielowiesſium*, *Melſstinum*, Magnam *Xiąż*; & quæ ob inuidiam (quoniam ad alienos Possessores transierunt) cõmemorare negligimus, arces, propugnacula Ciuitates. templa constructa magnificè, Asceteria dotata liberaliter, Monasteria composita religiosè, quibus Symbola Stellatæ Lunæ præfixa sunt. Quanquam ego, in Comitis nostri luce monstranda (quæ omnium oculos perstringit) nolo Maiorum gentilitia sydera arcessere, quorum nomina cum terras excessissent, Cælo inscribi debuerunt, vt clariùs sine nube æternitati prælucerent. Hic quidem eorum Cineres, in monumentis Maiorum, velut in vmbra resident, sed animæ beatæ in Capitolio æternitatis, æuo perfruuntur sempiterno. Hoc Maiorum, stipatus Comitatu Ill. Comes THEODORVS TARNOVIVS, merita meritis auxit, nec ab gentilitij sanguinis hæreditario iure abscessit. Erat illi salutare sydus, & vnica Cynosura, Ecclesiæ & Patriæ prodesse. Auiti stemmatis imago, pulsabat subinde virum, hortabaturq;, ne vigilino bsequium animus, qui Lunam, sydusq; specularetur, a Cælo cælestiumq; contemplatione abiret. Meminisset sic diem, sic noctem illustrare, vt erraticis etiam, inter Aulæ Tropicos stellis, exemplum innocentiæ preberet. Inde parum illi fuit necessitati studuisse, singulorum sibi necessitates obligauit; quando saluti egentium studuit, & in dies alimenta porrexit. Quid afflictos vltro conquirere, dare salutem miseris, in Catalogum referre deploratos, missa stipe subuenire, & nesciri petere, an hoc non grande pietatis argumentum est? Nam vt Syderum Vires plerunq; quæ Maiores, sunt arcanæ sunt: ita qui facit beneficium, & fecisse, audire non vult, & in facto reperire laudem debet, & ignorantiâ magis innotescere. Verè Illustris COMES TARNOVIVS THEODORVS, verè CAROLVS & ipso nomine magnus; qui ne in scæna ostentaret pietatis munus, obscura manu gessit, manu impleuit liberali. Nam diuini doni & nominis memor, in verecundiam fuit non necessitatem tantum liberalis; & ne pudor inopiam redimeret, preces præuertit: vtq; liberalem in integro seruaret voluntatem, voluit, vbi dedit latere. His meritis, stratam ad æternitatis arcem viam, quæsiuit & inuenit THEODORVS, vidit, & prona mente secutus est. Verum hæc omnia, cum sint prolixæ pietatis fortissima in hoc præcipiti casu & occasu Ill: COMITIS THEODORI solatia; illud quod illi primum fuit & extremũ non omittam Aud. Etenim sæpius dum per insomnes noctes, cognatæ affinitatis memor,

Sydera cuncta notat tacito labentia Cælo,

Stellarum Cæliq; Reginam, Sydereis redimitam Coronis, Lunaq; pulchriorem, submisso pietatis obsequio venerabatur. Huic ille stata precum pensa, dum adhuc puer operam literis addicebat, nobili seruitute decurrere, legem sibi dixerat: nihil ob ipsius venerationem loqui, nisi æthereum, nihil agere, ac ne cogitare quidem, nisi quod perennem D. Matris spiraret amænitatem. Nempe Numen infinitum est, nulla cogitatione bonitas eius, nulla prædicatione compræhendi magnitudo potest. Proxima verò Numini Virgo est, quæ Numen peperit, quæ Deum terris

dedit

dedit Saluatorem. Quisquis igitur semel Matrem, semper Virginē officiosa Supplicatione laudat, veneraturq;, iā faciliori fæliciorîq; passu, ad Deū accedit. Huc assurge Orthodoxa pietas, huc Vestras conferte voces diuinorum mysteriorum arbitri, Magni Dei, magnæq; Matris & Virginis precones: docete præuisis Orbem Vniuersum argumentis, quæ & quanta suis cultoribus & alumnis, hæc Magna etiam Magnorum peccatorum Patrona, præmia ac priuilegia apud eum quem genuit Deum, impetrare potest. Audite peccatores, decretalem & ex intimis pietatis præcordijs fusam *D. Anselmi* Sententiam. *Qui ad* MARIAM, inquit, *Supplex accesserit, impossibile est vt pereat. Et ipsa velit, nos nequaquam salui esse non poterimus.* In eam quo-

Pet. Dā ser. 1. de Natiu. B. Virgi. que *Petrus Damiani* erumpit vocem, dum sic Virginem Deiparam alloquitur: *Quomodo illa potestas, potentiæ tuæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis suscepit originem?*

D. Bern. serm. de Nat. B. Virg. Mellitissimus porro *Bernardus* Suauissima Vt solet Suadella, altissimum hoc recludit arcanum, atq; docet; *Non posse sustinere repulsam, qui quod Deo offerre vult, quantumuis modicum, gratissimis* MARIÆ *manibus offerendum tradat.* Et Ipsa inquit *tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.* Insuper caulas tantæ prærogatiuæ enumerat,

D. Bernar. ser. 2. de Aduen. Dñi. dum gloriosissimam Patronam ita compellat. *Per Te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis; vt per Te, nos suscipiat, qui per Te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis, & humilitas tua grata, nostræ veniam impetret vanitatis. Copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas tua gloriosa, fecunditatem nobis conferat meritorum.* Obtura os impudens; quisquis temerario ausu, Iudiciorum DEI scrutaris abyssum, & per erratorum humanorum infirmita-

firmitatem grassaris insolenter. *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas* (intonat Doctor Gentium) *in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas.* D. Paul ep. ad Rem. c. 2.
An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Sed amplius nolo cum vmbris certare dentatis; & censores istos perrigidos, qui infinitam bonitatem Dei, cerebrosis includunt cancellis, diuino iudicio relinquo. Nostrum sit istud maximum solatium Illustr. THEODORVM *Comitem Tarnouium* vitam vixisse integram; vt alumnum & cultorem virginis clementissimæ, decebat: ac ideò (& si insperato abreptus sit occasu) nec male potuisse mori: nobis deniq; ab exemplo suo reliquisse doctrinā, certissimam subitis casibus medicinam: memores vt mortis semper imminentis, ita sobriè iustè, pieq; viuamus, quasi nobis continuè rationem reddendam arbitremur. Incredibile enim est quàm facile mors, vt domum nostram in fauillam redigat, irritetur. Paulo liberalior haustus, cursus incitatior, defatigatio modica, frigus, æstus, somnus, vigilia immodica, satis magnæ causæ sunt, vt mors irritata, flammam in ædificium nostrum conijciat, nosq; resoluat in Cineres. *Nihil difficile est* (inquit Stoicus Rom.) *naturæ, vbi ad finem sui properat,* Seneca lib. 3. Nat. quæst. c. 27.
Ad originem rerum parcè vtitur viribus, dispensatq; se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam, & toto impetu venit. Quam longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperiū perducatur infans. Quantis laboribus educatur, & adolescit? At quam nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. Momento fit Cinis, diu sylua. lib. 6. Nat. quæst. c. 32.
Hoc affigamus animo, hoc nobis sub inde dicamus, Moriendum est. quando? quid tua? Mors naturæ lex est, mors tributum, officiumq; mortalium, malorumq; omnium remedium est. Latet vnus dies, vt omnes obseruentur dies, ait D. Augustinus. Et

Saluator præcipit: *Vigilate quia nescitis diem neq; horam.* Itaq; solliciti in re tanti momenti, (siquidem agitur de æternitate) *vigilemus*: quamuis mortis cogitatio, & ad illam præparatio, tristitiam ingeneret. Breuem hanc sed salutarem sustineamus tristitiam, vitamq; ad meliorem frugem flectamus per pænitentiam, vt cum beatis mentibus, in amænissimo illo Prytanæo immortalitatis securè ab omni casu, & quieti, gaudijs perfruamur æternis.

D.



